

**Oratio ex Harveii instituto in aedibus Collegii regalis medicorum
Londinensis : habita die XXIX mo. Junii, MDCCCLIX / auctore Carolo
Jacobo B. Aldis.**

Contributors

Aldis, C. J. B. 1808-1872.
Royal College of Physicians of London.

Publication/Creation

Londini : G. Phipps, 1859.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uptgqw7c>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



M

8378

BZ

Hum. Or.



22101222271

**WELLCOME
LIBRARY**

General Collections

M

8378



ORATIO
EX HARVEII INSTITUTO,
IN ÆDIBUS
COLLEGII REGALIS MEDICORUM,
LONDINENSIS:

HABITA

Die xxix^{mo}. Junii, mdccclix.,

AUCTORE CAROLO JACOBO B. ALDIS, M.D., M.A.,

CANTAB. ET COLL. REG. MED. LOND. SOCIO.



LONDINI:
EXCUDEBAT. G. PHIPPS.

M DCCC LIX.

В. XXIV. 121

from the A

ORATIO
EX HARVEII INSTITUTO,
IN ÆDIBUS
COLLEGII REGALIS MEDICORUM,
LONDINENSIS:

HABITA

Die xxix^{mo}. Junii, mdccclix.,

AUCTORE CAROLO JACOBO B. ALDIS, M.D., M.A.,

CANTAB. ET COLL. REG. MED. LOND. SOCIO.



LONDINI:
EXCUDEBAT. G. PHIPPS.
M DCCC LIX.

OTTAWA

EX HANUARI INSTITUTE

EX NUMBER

COLLEGIUM REGIUM MEDICORUM

FORUM

Mr. Dr.



COLEGII REGALIS MEDICORUM,
LONDINENSIS,
PRÆSIDI, SOCIISQUE,
HANC ORATIUNCULAM
EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA
D. D.

CAROLUS JACOBUS B. ALDIS.



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b21778942>

ORATIO HARVEIANA.

PRÆSES CLARISSIME !

SOCI DOCTISSIMI !

Atque AUDITORES ILLUSTRISSIMI !

En dies revertitur anniversarius et in hoc collegio maxime memorabilis ex Harveii instituto ; viri venerandi non nobis solum, sed etiam toti terrarum orbi. Nam ubicunque medicina exerceatur, ibi nomen Harveii immortalis viget semperque vigebit.

Hoc tempus non modo solenne verum etiam festum esse arbitror ; nobis enim in memoriam revocantibus virtutes illorum, qui de posteris bene meriti sunt, lætari hodie licebit.

Si omnes, qui de republicâ bene consuluerint, in maximo honore haberi debeant, non dubium est, quin illos medicos coho-

nestare oporteat, qui consiliis suis, doctrinâ, et experienciâ ad verum artis nostræ incrementum tam multa et tam magna attulerint.

Mens autem mihi obstupescit quum hanc oratiunculam aggredior, officium minime injucundum, sed non sine timore, susceptum.

Ars medendi est nobis testamentum a sæculis prioribus relictum, et ab antiquis scriptoribus ditatum. Nam ut omnis clara scientia, sic medicina, lente progreditur, cujus fontem et originem impetrabile chaos obscurat.

Mihi certe non opus est obscuriora tractare, quandoquidem in primordiis rerum a benevolo Creatore, quo homines tutius et jucundius vivant, haud dubie decreta fuit medicina.

Porro mentem et rationem corpori humano addidit, quarum ope in duabus rebus excogitandis homines quidam versati sunt: nam anatomicen assidue excoluerunt, inventisque multis locupletaverunt; et materiam medicam mirâ sagacitate persecuti sunt.

Quanquam ab initio in Ægyptiâ medicinam excultam fuisse multi putant, Assyrii quoque fortasse hanc gloriam sibi vindicare possunt; nam sacerdotes illius gentis, literarum et medicinæ custodes et cultores omnia ad populi salutem pertinentia dispensabant.

Quandoquidem non possumus omnia, ad rem medicam utilia, experienciâ solâ discere, priorum auctoritas a prudenti medico non est contemnenda.

In nostrâ difficillimâ arte scriptorum antiquiorum, et recen-

tiorum negligentia temeritatem animi magnopere indicat, quemadmodum dixit Harveius: "Nec" tamen, "ita in verba jurant antiquitatis magistræ, ut veritatem amicam in apertis relinquant in conspectu omnium deserant.*"

Quis enim est ille homo, qui de mortuis celeberrimis nil nisi malum æstimat? Qui scientiæ Apollineæ est maximus obtrectator! Qui, quod fieri nequit, tentat! Proh pudor! multa exempla medicinæ historia præstat.

Paracelsus ille gloriosus Galeni et Avicennæ scripta coram alumniis suis combussit, et seipsum "regem medicinæ" proclamavit. Macrocosmo confisus, nempe, in Philosophiâ, in Astronomiâ, et Alchemiâ, humani corporis sectionem sprexit, et in morbis mendendis Arcana exhibuit.

Hahnemannus, recentior ille empiricus, Paracelso erat similis. Ille, inspectione cadaverum neglectâ, doctrinam pathogeneticam et homœopathicam pathologiæ anteposuit; ambo autem "aliquid Gyaris vel carcere dignum" aussi sunt. Hahnemannus† in suo Organo dixit, se duodecim annos degisse in permultorum chronicorum morborum detegendâ origine, nempe scabie, quam iisdem remediis quibus ipse scabiei morbus sanari posse asseverat.

Nec non Reverendus Thomas R. Everest in concione sacrâ talia recentius effudit, ut Salvator noster scabiei curationem intellexerit, quum dixit "Sanate leprâ laborantes;" in novo testamento

* *Harveii Opera*, p. 6.

† A.D. 1810.

lepra et psora vel Hahnemanni scabies, testante Everest, sunt ipsissima. Hæc autem doctrina, nec nova, nec vera, nec tuta. Doctor enim C. G. Zieger multos ante annos in Dissertatione medicâ*, post scabiei definitionem docuit. “Huic malo, commodissime subjiciuntur alia cutis vitia, impetigo, ψώρα, λέπρα, ελεφαντίασις, vitiligo, ἀλφὸς, μέλας et λευκη.”

Porro et “teterrimos gignit morbos, tubercula indurata, ulceraque κακοήθεια in membranâ adiposâ, cuti proxime substratâ, glandulas, rarius axillares, frequentius παρωτίδας, et maxillares, tumidas, schirrosas, tumores, . . . pulmonum vomicam, et φθίσιν, . . . immo ipsam ἀμάρωσιν, nervos resolutos, vel distentos, indeque oriundum morbum attonitum, vel caducum. Dixit quoque—“Hic notatu dignissimum, omnes hos morbos nunquam sanari, miserrimisque ægrotis nullo plane modo succurri posse, licet optimis quibusque utantur medicamentis, quæ præsentī scabiei mederi, liquido adfirmavimus, nisi impedita, perdita, atque repressa scabies celerius restituatur in integrum, et in cutem reducta persanetur.”

Falsas theorias videmus sub scientiæ specie per multa secula florentes. Hinc ultima Paracelsi principia, quæ nominantur “Entia,” exoriuntur, hinc homœopathia, kinesipathia, tabularum vis motiva†, et varia “ismata” omnino abjicienda.

* *De Scabie Artificiali.* Lipsiæ. A.D. 1758.

† “I think the system of education that could leave the mental condition of

Quid valent falsa systemata in nosocomiis hodiernis, nil! et vos gaudeatis socii! ut pauperes saltem a tali fraude, quantum fieri possit, tueamini; hæc enim mendacia in Harveii, Baillæi et Hunteri scholis existere nequeunt.

At nunc orationem nostram ad majora transferamus.

Ita humilis erat medicinæ conditio tempore Linacri, viri excellentis ingenii et hujus collegii fundatoris, ut ab indoctis præcipue monachis empiricisque exerceretur; “nam Episcopus Londinensis, aut ecclesiæ Sancti Pauli decanus, in probandis tum admittendisque medicis summam potestatem Londini habebat, uti in aliis suis quibus cæteri diocesesibus*.” Multa autem ecclesia et civitas, Henrico octavo et Wolseio Cardinale faventibus, ad honestatem Rei Medicæ vindicandam fecerunt.

Idque de Linaero vere dici potest, cum ex primis fuisse, qui cum Coletto, Sancti Pauli Scholæ fundatore, mihi gratissime memorando, et Lilio antiquam in hâc insulâ eruditionem instauraverunt.

Primus sui collegii præses fuit Linacrus, et judices quidam ad hanc rem idonei, designati sunt, qui literas testimoniales ad practicandam medicinam nullis, nisi prius fuerint examinati, donarent.

Multis quoque in aliis rebus reipublicæ profuit, duas enim in

the public body in the state in which this subject has found it, must have been greatly deficient in some very important principle.—Professor Faraday's *Letter to the "Times."* June 28th, 1853.

* J. Friend, M.D., *Opera*, p. 590.

medicinâ prælectiones Oxonii et duas Cantabrigiæ instituit, nec non ut amicitiam et concordiam, id quod plurimi nos facere oportet, inter medicos firmaret, illos in hanc communitatem collegit.

Hoc modo medici a vulgaribus empiricis segregati essent; anno autem proximo nova lex medica a senatu admissa est, quâ non tantum omnes digni honore, sed etiam homœo-empirici, dummodo secundum leges idonei sint, in iisdem tabulis referantur, quod est nil nisi homicidium legale. Certe tantum dedecus, non nobis meritum, vehementer reprehendi debet.

Attamen etiam nunc sperandum est :—

“ Non, si male nunc, et olim

Sic erit, quondam Cythera tacentem

Suscitat Musam, neque semper arcum.

Tendit Apollo.”

Non vero nobis admittendum est ut hic error utilitatem magnam prohibeat, quæ ex novo Medico Consilio, Præsidente Brodeio, exorietur. Nisi spes dubia mentem decipiat, Professio nostra ad eum societatis statum, quem meruit, perveniet.

In hoc senatu vox unanima et ergo vis unanima Rei Medicæ magnopere proderit, quæ hactenus, discordiâ et suspicione nimis disjuncta est.

Medicinæ studium animo eruditissimo est dignum, et ad benevolentiam aptissimum. Si quis dubitet, non tantum in divitum

domus eat, ubi commoda salutifera et socialia, quæ ex hâc arte pene divinâ nascuntur, sed etiam ad nosocomia nostra, precipua hujus gentis decora et ornamenta, vel in angiporta obscura, morbis et miseriis plena, quâ sol vix unquam cubicula penetrat, et quantum solatii ab humano genere ex arte nostrâ deduci soleat, ei erit apertum.

At cui bono omnes hi labores a medicis suscepti sunt? Nimirum multa dona, multæ gratiæ, et multi honores illis pro tantis beneficiis redduntur. Talibus perpauci quidem fruuntur, at in nostra professione vix, sicut in clericâ vel legali, aliquot dignationes conferuntur, nihil etenim plerisque post labores assiduos post vires fractas et post consilia sine mercede sæpissime data restat, nisi bene actæ vitæ memoria; veruntamen pertranseunt benefaciendo.*

In novis legibus scribendis, quæ medicis generaliter satisfaciant, iis, qui rempublicam administrant, difficillimum officium exsequendum est. Dubitari, non potest, quin priorum instituta interdum mutari necesse sit, nos ergo hanc novam legem, quasi bono publico commodam, accepimus.

Die Septembris vigesimo secundo ejusdem anni Watsonus ille noster, Sancti Joannis Collegii apud Cantabrigiam et hujus collegii socius eximius coram nobis electoribus gratias reddidit, quod nos universaliter se dignum judicasset, qui locum tam honestum inter medicos Anglicanos in novo Consilio teneat.

Hic maximus honor, officio amantissimi Præsidentis Doctoris

* "Who went about doing good."—*Acts* x. 38.

Mayo excepto, Doctori Thomæ Watsono merito collatus est, ut demonstret quam vehementer ei cordi sit et professionis utilitas et reipublicæ salus.

Anni prioris die Decembris undecimo quum Doctor Franciscus Hawkins officium hujusce Collegii acta consignandi deposuit, socii ejus urbanitatis, in componendis rebus miræ accurationis et operum per annos pene triginta memores inter se consenserunt, ut sequentia verba in Collegii annalibus consignarentur.

“Socii ex animis volunt in hujus Collegii tabulis referre, quam perite, studiose et fideliter per tot annos suis officiis perfunctus est, et huic munere abdicanti, summas gratias agunt, eumque certiore faciant, se in gratâ commemoratione eximia beneficia habituros esse, quæ huic collegio perfecit.”

Negari non potest quin haud longo tempore post Linacri mortem a Caio atque aliis viris insignibus anatomiae et physiologiae studium magnopere sit promotum. Nam etiamsi Caldwallus, Servetus, et Columbus quædam de sanguinis circulatione proposuerunt, nemo ante Harveium id problema intellexit.

Quâ luce artem nostram jam collustravit, quas tenebras Harveius dispulit! Sanguinis et viscerum physiologia in corpore humano et morborum diagnosis hactenus confuse permixtæ tandem facilius intelliguntur. Frustra obtrectatores, frustra medici, invidiâ stimulati, circulationis doctrinam strenue negant. Frustra sanguinis motus in Shakspeario memoratus sanguinis perpetuo

motu in circulo confunditur, quanquam Brutus ita Portiæ accurate et amanter loquitur—

“ You are my true and honourable wife ;
As dear to me as are the ruddy drops
That visit my sad heart.*”

Non modo sanguinis circuitûs majora et minora systemata primum docuit, sed aliud quoque problema, quod quidem ante eam ætatem solvi non potuit, et quod nobis in memoriâ non satis retentum, ut ab Harveio repertum, nempe fœtalis circulatio, non diutius fit problema.

Præterea ex hâc Harveii investigatione permultum commodi etiam in morborum curatione acquirere potest medicina.

Postremo multa quæ per sæcula præterrita medicis vera visa sunt, sine circulationis scientiâ refutari non potuerunt.

Verus enim Philosophus erat Harveius, qui veritatis et sapientiæ amore flagravat, et nunquam indignatione aut invidiâ, obrui mentem sivit, quo minus demonstrationem intelligeret.

In ipso tractatû de motu cordis et sanguinis multam lectionem ostentare nolebat : tum quod non ex libris, sed ex dissectionibus ; non ex aliorum sententiis, sed naturâ anatomen docuit.

Quodcunque suscepit Harveius, inductionis more, Verulamio ipso dignæ, perfecit.

* *The Life of Harvey.* By R. Willis, M.D. liii.

Omnia in operibus suis ad Divinum Illud Consilium retulit, et testamentum Omnipotentis et Æterni Dei nomine scripsit, animam illi, qui dedit, Domino et Salvatori Jesu Christo et corpus terræ relinquens.

Sanguinis circulatione et physiologiâ in lucem prolatis, res summa est eorum morborum contemplatio et anticipatio qui sanguinem et corporis humores contaminant. Præcipue vero in iis morbis, qui epidemici vocantur, et qui per universum populum grassantur opus est sanitatis publicæ tutandæ.

Pestes enim aliquando, sicut sagittæ cœlo demissæ eos obruerunt, mortem et stragem in senes, juvenes, e quibus multi nuper uxores duxerunt, et infantes modo ab utero extrusos, conjicientes.

Maximi igitur est momenti ejus scientiæ studium, quæ morborum principiis obstat, non tantum specialiter, sed etiam quasi pars medicinæ propria et laude dignissima.

In hâc oratione de variis sanitatis publicæ impedimentis, quæque “ipsa miserrima vidi,” dicere longum est; quacunque hæc sunt omissa, ibi physice et moraliter fere degenerant homines, et quanquam vivant, non tamen “est vivere sed valere vita.”

Sane mirum est in Angliâ, qua artes, commercia et morum elegantiae florent, atque scientiæ coluntur, salutem publicam per tot annos neglectam fuisse.

Hæc nostræ artis portio junioribus aream latam præbebit. Quæcunque aer, vel aquas et cibus foedant, hæc ab illis in

mente sedulo retinenda sint, cito enim sanguis per pulmones vel per stomachum vitiatur.

In legibus et civitatibus tuendis jurisconsultorum et legistorum opus est; medicorum autem consilia in sanitate reipublicæ conservandâ valent.

Legibus enim solis non sunt istæ vires, quibus morborum causas, sæpe insidiosas, inspicere et avertere liceat; hæc medicorum sunt officia; atque eorum operâ cives, corporis mentisque sanitate stabilitâ, ad negotia facilius peragenda prompti fiunt.

Præterea sit liberorum cura, quibus contingere solent variæ morborum causæ, et mala hæreditaria, ita ut vates sic olim conquestus sit—

“Ætas parentum, pejor avis, tulit

Nos nequiores, mox daturos

Progeniem vitiosiore.”

Quam utilis sit inspectio sanitaria, uno ex multis exemplo demonstrari potest. Urbs Eliensis* cloacarum stagnantium, sordis et ægritudinis plena erat inventa, at principiis medicinæ prævenientis applicatis, mortes a viginti sex ex hominum mille, ad septemdecim sunt redactæ.

Quamdiu homines vivere possint, non meum est dicere; Flourens

* *Registrar General's Quarterly Return*. No. 39. Sept. 1858. Mr. Burns.
“Ely, a city of cesspools, filth, and sickness.”

autem centum annos esse ætatem hominis naturalem contendit, quam ad ducentos provehi posse putat. Vita rustica longevitatis multa exempla præbet.

Harveius ipse, anatomen Thomæ Parri, post annos centum quinquaginta duos et menses novem actos, demortui, scripsit, et mortem ejus ad causas publicæ saluti noxias Londini his verbis attribuit.

“Causam mortis in subitam mutationem in rebus non naturalibus referre consentaneum erat: præcipue tamen illata ei noxa erat ex mutatione aëris, quo, toto vitæ cursu, purgatissimo, tenui, frigidiori et diffilabili usus est; unde liberius eventari et refrigerari præcordia et pulmones potuere; quo vitæ commodo urbs hæc maxime destituitur, eo quod permagna, colluvie hominum, jumentorum, canalium, et reliquarum sordium perpetuo scateat, addito etiam nonnullo inquinamento ex effumatione carbonum fossilium sulphureorum, quorum frequentissimus usus hic est ad ignis pabulum; unde aer ibidem semper gravis, autumnii vero tempore longe gravior, homini præsertim venienti ab apricis et salubribus Salopiæ tractibus, maxime jam seni et debili, non potuit non esse valde incommodus.”

Hinc videtur circulationis inventorem oppidorum mala sanitaria animo diligenter agitavisse. Nunc etiam nova medicorum cohors, Romanis ædilibus similes, publicam salutem in multis locis custodiunt.

Inter nobiles qui publicam sanitatem auxerunt, duo sunt memorandi, quorum alter Shaftesbury, vir amplissimus et benevolentissimus, ad promovendas pauperum habitationes se dedicavit, alterque Carlisle, eloquentissimus et eruditissimus, in senatu ad leges salutiferas sanciendas multum contulit. Inter medicos Southwood Smith, et Arnott in hac re maxime sunt laudandi. Prior vero medicinæ sanitariæ recentis erat fons et origo.

Multorum commemoratio sicut Caii aut Radclivii et aliorum qui ob excellentissimas animi virtutes et liberalium artium atque medicinæ scientiam præconiis sunt dignissimi, quoniam vix sufficeret tempus, necesse est ut præteream. Tales nunquam dubitaverunt, academicarum disciplinarum et literarum humaniorum in animis informandis ante Medicinæ studia egregiam esse utilitatem. Hoc vero mihi persuasum habeo, ne vobis quidem, socii, id dubium fore, quin Ars nostra his auxiliis nudata, ad perniciosissimam empiricorum inscitiam lapsura sit.

Mihi addere hoc loco aliqua, quæ inprimis attentionem merentur, non abs re esse videtur. Scripsit olim Hermannus Boerhaave*: “vix ullam esse particulam corporis, quæ non sentiat, vel se non commoveat; credemus fore, omnes partes solidas corporis contextas esse fibris nervosis atque iis constare.” Quæ quidem sententia, viro summæ auctoritatis tam fidenter proposita, non omnibus medicis placuit vel comprobata fuit. Cor

* *Institut. Medic.*, 301.

enim, musculorum principem, cujus auricula dextra primum vivit et ultimum moritur, nervos accipere multi doctissimi negaverunt.

Harveius quidem de cordis motu ita dixit : “ ipsiusque motum esse qualem musculorum, dum contractio fit secundum partium neurosarum et fibrarum,” at nullos nervos in corde demonstrat, et certe nulli in operibus suis memorantur.

Fallopheus nervosæ materiæ copiam cordis basim amplexantem ostendit.

Scarpa etiam cardiacos nervos delineavit, et in ganglia intumescences inter majora vasa arteriosa, nulla autem ganglia in cordis nervis exhibentur in tabulis ejus nisi cum vasibus conjugantur.

Nec Swan ullos nervos cor penetrantes esse demonstrat.

Hoc vero sane mirum est, quibusdam anatomicis cor, quod fibras rectas, obliquas et circulares, et continuo moventes habet, sine nervis esse videri.

Quæ cum ita sint, maximus debetur honor nostro sodali Roberto Lee, qui numerosa ganglia, quæ alios aufugerunt, et nervorum plexus per totum cor dispersos in lucem protulit.

Annos quatuordecim in hoc opere investigando traxit, et famam nostræ institutioni reddidit, nostras igitur gratias illi hodie conferamus, et quantum honoris suo collegio addiderit, testemur.

Cæterorum restat commemoratio, qui honoris pleni, et vitæ

curâ soluti ad Linacros, ad Harveios, magni nominis umbras, nuper decessere.

Inter illos mihi Henricum Marshall Hughes, olim apud nosocomium Surriense collegam meum, atque hujus collegii socium, breviter commemorare liceat. Ille apud nosocomium Guyense, quum Babingtonius, sodalis noster, se illo munere abdicaverat, medicus creatus est. Postea pedetentim et gradatim ad famam progressus est. Nunquam enim scientiam acquirendo fatigatus, artemque suam ex animo diligens, mox juventuti, studiis ibi medicinæ deditæ, carissimus, atque collegis, acceptissimus fiebat; ægrotis quoque, quos privatim curavit, fuit dilectissimus.

Scriptis etiam de Auscultatione Clinica Practicanda, aliaque de Physica Diagnosi, multa autem inter alia scripta, ea, quæ de Thoracis Morbis tractant, præcipue commemoratione digna esse videntur.

Quod superest, ille pauperibus benignus fuit, omnibus sui ordinis urbanus, et permultis amicis amatus et defletus occidit.

Nunc mihi in mentem ille vir illustrissimus, et maxime a medicis deflendus Ricardus Brightius occurrit, et nunc socii in hoc dilecto nomine fas sit nobis commorari paulum et dolere, quod viro, tot annos in nostrâ illâ laboriosissimâ vitæ ratione comiti, socio, amico, huic solemnitati, huic humanissimorum et ornatissimorum auditorum cœtui non licuerit adesse. Ille olim primis vitæ annis apud Edinburghiam prælectiones de Philosophiâ morali

et politiâ a celeberrimo Dugaldo Stewarto, et eas de Philosophiâ naturali a Playfairio habitas, audivit. Postea in iis studiis, magis ad medicinam spectantibus se totum tradidit, prælectionibusque de Chemiâ, de Anatomiâ, et de Medicinæ Institutis, a doctoribus, Hope, Monro, et Duncan habitis, operam dedit. Ab his studiis, ut cum illis ad insulam Icelandicam navigaret, a Georgio Stewarto Mackenzio et Henrico Hollandio, nostræ societatis socio clarissimo, advocatus est.

De istis peregrinationibus ille et Mackenzius librum ediderunt, in quo omnia de herbis et plantis Icelandicis et de Historiâ naturali a Brightio descripta sunt. Nobis ab Henrico Hollandio traditum est, eum per quatuor menses, quas in Insulâ Icelandicâ, egerunt, semper omnes labores et pericula, quos passi sunt, fortiter et æquissimo animo sustinuisse. Postquam ab Icelandicâ redierat, ad Londinium accessit, et in Nosocomio Guyensi habitavit. Hic duos annos mansit, per quos de Medicinâ Practicandâ prælectiones Babingtonius et Currius habuerunt. Sub idem fere tempus, amicus quidam commemorat, se imaginem renis granulati ab eo delineatam vidisse, unde constat, quam mature illum morbum, qui cum nomine suo sempiternæ conjungetur, investigare solebat.

In hâc re memorandâ non nobis est obliviscendum quantum beneficii medicinæ J. S. Blackallius, nunc nonagenarius et hujus Collegii socius albumine in urinâ olim* detegendo, contulit.

* Anno 1813 primò promulgatum

Præterea de Medicinæ scientiâ præclarissima multa scripsit. Nam illud aureum opus, “Dissertationes de exemplis Medicis selectis ad morborum notas et curationes ab anatomiâ morbidâ illustrandas,” duobus voluminibus contentum, quorum primum, quod de morbo renali, pulmonario, et febris pathologiâ disserit, edidit, illud aureum opus, dico, Brightii nomē semper servabit. Ejusdem operis alterum volumen disserit de cerebri et spinæ pathologiâ, et de paralyysi, hysteriâ, epilepsiâ, tetano et hydrophobiâ.

Maxime et in Gallicis et Germanicis literis versatus est; et mitissimâ et æquissimâ indole præditus, in alienas culpas facilimus, in suas severissimus.

Summâ religione et præcipiendo et agendo Deum coluit, animusque tam purus fuit, ut ne qua ex ore fabula unquam cecidit, quam innocentissimus infans, aut femina pudicissima audire nequiverit, aut noluerit.

Sed nunc, socii, hic vir tam magnus, tam bonus, et tam grate ab omnibus memorandus e nobis excessit, at memoria ejus nunquam ex nostris animis decedet. Viget æterneque vigebit. Nunc tandem, jam “rude donatus”—

“I, decus, i, nostrum, melioribus utere fatis.”

Nec jam de alio insigni tacere licet Doctore Joanne Scoto, qui per multos annos medicus erat designatus ad examinandum

juvenes, qui, ut chirurgi, ad Indos Orientales progredi volebant. In hoc gravi et laborioso officio semper humanitatem et benevolentiam maximam erga candidatos monstrabat. Sed eodem tempore nunquam alicui, nisi se ad munera artis suæ bene fungenda aptum et idoneum præstitisset, in Indos emitti concessit.

Mihi profecto videtur ut nulla certiora indicia ostendi possint, quam fideliter at quanto reipublicæ commodo officia ad societatem Indicam Orientalem peregit, quam quod nulla in patriam suam querela pervenit, ut, in illo tumultu et magnâ rerum perturbatione, in quo tam multi fortissimi viri et mulieres, quæ se virtutem heroum magnanimorum habuisse declaraverunt, ab hoste barbarico et sævissimo trucidati sunt, aliquid omnino, sive linamentum, sive scalpelli, unquam deficeret.

Haud disputandum est quin per bellum in Crimeâ, et illud in Indis Orientalibus, chirurgi militares satis laudari nequeant; et per multos annos recentes juvenes chirurgi, qui ad Indos progressi sunt, sine dubio et humanissimi et artis medicæ peritissimi fuerunt.

Per multos annos, socii, in novâ chartulâ excogitandâ vos summam operam navasti, et tandem consiliorum eventus in hâc re promulgantur.

In his tabulis conficiendis quomodo Collegii auctoritas et utilitas ad præsentem professionis statum optime accommodarentur maximè solliciti fuistis.

Multæ rerum mutationes propositæ sunt et plurimæ rationes

prolatae, quibus hæc veneranda domus medicos haecenus nimium dispersos et nimium sejunctos amplectari posset.

Vos ego gratulor, O Socii, plurimos in collegium vestrum per novam legem medicalem et collegii publicam utilitatem, quæ quotidie crescit, nunc tandem inire lætantes.

Tibi, Jennere, huic loco vicina effigies merito erigitur! quæ ab Alberto, Principe illustrissimo, in his ædibus inaugurata est.

Sin autem tantum honorem benè meritus est Jennerus, certè Harveii memoria, medicæ scientiæ hodiernæ fontis et originis, simili reverentiâ non minus est digna.

Me autem piget vobis referre non modo nullam esse Harveii statuam verum etiam illius venerandi viri reliquias jacere neglectas; collegium igitur, investigatione formatâ, hoc opprobrium maximo studio remove conetur.

Olim sociis convocatis placuit, ut Harveio in ædibus collegii statua poneretur, hoc autem monumentum cum collegio igne infauste periit, et nunquam repositum est.

O si patria grata in Harveii doctrinæ et ingenii honorem vel alteram effigiem erigendam vel scholarium saltem instituendum curaret!

Jam vero socii precor ut sub novis legibus, bono publico, huic Collegio, et Facultati medicæ omnia sint fausta!

Bene igitur tibi, Præsident! bene vobis, Socii et Auditores! et optime Professioni nostræ! Valet!



